

F. ALFONSI A CASTRO
ZAMOREN. ORDINIS MINORUM,
REGULARIS OBSERVANTIÆ,
IN DUOS LIBROS QUOS DE LEGIS POENALIS POTESTATE EDIDIT,
P R A E F A T I O.

DUAS, & non parum noxias, à diversis contra Legem Poenalem video dici sententias, à multis tanto cum applausu receptas, & usque eo celebratas, ut quisquis contra visus fuerit sentire, ab illis exhibetur, & ridiculus habeatur, perinde ac si contra divinum oraculum aliquid pronunciasset. Sunt enim qui sentiunt nullam legem obligare subditorum conscientias ad poenam, ab eadem Lege contra illius transgressores decretam, nisi adit Judicis sententia, quæ aliquas legi superperias ferat. Qui ita sentiunt, hac sola ratione ostendunt, se minorem facere Legis potestatem, quam Judicis, cum sæpe Judex, illis etiam fatentibus, sine ullo legis subsidio, sed solo suo mandato, subditos suos possit obligatos ad poenam reddere. Nec pauci aut indocti, sed multi & doctissimi viri sunt, Theologi pariter atque utriusque juris humani interpretes, qui hoc docent. Sunt iterum alii hanc virorum doctorum sententiam sequuti, qui illam perpetam interpretantes, ad omnem culpæ obligationem extenderunt, dicentes Legem Poenalem, neque ad poenam, neque ad id propter quod statuitur poena, obnoxias facere subditorum conscientias. Tamquam si poena, quæ ad mellorem legis observationem statuitur, liberiores faceret homines ad eisdem legis transgressionem. Expediret igitur, numquam poenam legibus addere, si illa addita, eo ipso omnis prolixus obligatio ad culpam tolleretur. Quoniam minor est comminatio poenæ temporalis, quamlibet acerba, quæ per legem humanam statui potest, quam obligatio culpæ, quæ, si mortalis est, poenam minatur æternam. Nam ob hanc causam, ut sæpe re ipsa comprobatur, quotquot aliquam animæ suæ rationem habent, periculo poenæ quamvis durissimæ se libentius obijciunt, quam ut se reatu culpæ mortalis innectant. Fictitane necessario juxta istorum sententiam, ut poenarum terroribus non coercerentur homines à legum transgressionem, sed potius licentiosi fiant ad illam. Sed bene ferres habet, quia qui ita sentiunt, licet multi sint, multo tamen sunt minus docti, quam superiores, & prolixus indigni, qui cum illis vel à longinquo conferantur. Utrique tamen contra legem poenalem conjurasse mihi videntur, ut omnem ab illa tollant potestatem, & sic mancam, omnibusque prolixus viribus carentem, illam relinquunt. Quanta, quæso, erit legum poenaliū potestas, si illæ neque ad culpam, neque ad poenam subditos suos obligare possint? Hanc tantam legum poenaliū dejectionem, & tyrannicam (ut ita dicam) depressionem ego diligenter considerans, & æquo animo ferre non valens, ad propulsandam hanc, quæ illis inferitur injuria, contra hostes illius in arenam descendere statui. Nam pro patriis legibus, & illarum robore, atque potentia, veluti pro patria ipsa, virum for-

tem pugnare oportet. Quoniam sublata legum potestate, multo vilior, atque debilior patria erit, quam si omnes illius muri ad terram prosternerentur, & omnia tormenta bellica, quibus omnes suos hostes à se propellere possent, protinus confringerentur. Quoniam nisi leges vires habeant, quibus homines ad bonum impellere, & à malo deterere valeant, tanto patria erit pejoribus hostibus pervia, quanto peiores hostes sunt vitia, quæ animum jugulant, quam alii, qui, etsi corpus occidere possint, animæ autem nec tantillum incommodare valent. Sunt enim leges, præsertim poenales, quæ potissimum patriam custodiunt. Sunt muri civitatum, in quibus totum illarum præsidium constitutum est, & quibus bonos quam utilissimè detinent, malos arcet, & sibi appropinquare non sinunt. Sunt tormenta bellica, quorum terrifico tonitruo, vita, quæ (ut dixi) plusquam mille alii hostes civitatis nocere possunt, longissimè ab eis repelluntur. Tolle igitur utramque legum potestatem, & nullus illas reverbitur, nullus illas debito prosequetur honore, nullus denique illas metuet, sed vitia quæque sine ullo timore in civitatem irumpant, & tanto pejus illam depraedabuntur, & tanto ditiora ab illa auferent spolia, quanto meliora sunt animæ quam corporis bona. Ne igitur hæc omnia eveniant, decrevi tam improba & tam noxiæ factioni in hoc opere occurrere, & pro legum poenaliū potestate sic pro viribus pugnare, ut hos duos errores, qui illam obstinatè animo oppugnant, ab studiorum palestra valeam profigere. Hanc autem totam disputationem duobus libris partiendam esse censui, ut suis cuique errori liber respondeat, & uterque illorum suo libro refellatur, & convincatur. Primo libro (ut à facillioribus ad magis ardua progrediar) illum errorem aperte convincam, qui docet, nullam legem poenalem obligare subditorum conscientias ad culpam, præsertim mortalem. Altero libro contra illos oppugnabo, qui dicunt legem poenalem numquam sine judicis adminiculo obligare ad poenam, aut illam insigere posse. Verum si tam multi, & tam fortes viri sunt, qui stant ex adverso, qua fronte, aut quo animo ego solus eos omnes ad certamen provocare audeo. Si negant, vel Herculem adversus duos fuisse parem, quinam fiet, ut ego imbecillis homo tot Hercules vincere possim? Sed vincit omnia Veritas; nec est qui prævalere possit contra illam. Vincet ergo quisquis pro veritate pugnaverit, præsertim quum Deus ipse semper veritati faveat, & eos, qui pro illa tamquam pro re, quæ potissimum ad ipsum spectat, certant, potentissime adjuvet. Ut autem aperte, Deo adiutore, possim de illis omnibus triumphare, nihil præter divini numinis favorem desidero, nisi æquos judices, qui non personas, sed merita respiciant, neque personis, sed meritis victoriæ coronam tribuant. Neque est, quod miretur ali-

aliquis me hoc desiderare: cum solemne sit multis, non quid, sed à quo dicatur considerare. Pro qua re satis mihi esse arbitror, producere in testem sapientem Ecclesiasticum, qui hanc præposteram hominum sententiam subinde contingere refert. *Diviti decepto*, inquit Sapiens cap. 3. *multi recuperatores, locutus est superba, & justificaverunt illum. Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensate, & non est datus ei locus. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducunt. Pauper loquutus est, & dicunt: Quis est? Quicumque ad illustres illos viros qui multis parasangis me antecellunt, referre me voluerint, merito illos divites, & me pauperculum & abjectum pronuntiabunt: ac proinde metuo, ut si me, quamvis sensate loquentem, illorum sententiæ contradicentem audierint, cum indignatione, aut designatione dicant: *Quis est hic?* Ob hanc causam hujus operis lectores, quos solos futuros esse hujus pugnae judices, per viscera Charitatis, quæ est in Christo Jesu, adjuro, ut quum disputationem hanc legerint, omnem procul à se rejiciant humanum affectum, quatenus possint utriusque partis merita rectè cognoscere, & sic libere de victoriâ censere. Oro illos, ut nullum personæ respectum habeant, sed considerent Deum, quæ sua est potentia, subinde linguas infantium fecisse disertas, & gregum pastores fecisse prophetas, & aîne elingui usum linguæ dedisse, rudes de nique piscatores eatenus erudisse, ut sua postmodum doc-*

trina totum illustraverint orbem. Oro insuper eos, ne illos moveat ad censendum de victoriâ pugnae, quod multi sunt qui mihi adversantur: quoniam facile est (ut sapienter fortissimus ille Judas dixit 1. Mach. 3.) concludi multos in manu paucorum, & non est in multitudine exercitus victoriâ belli, sed de caelo fortitudo est. (3. Reg. 22.) Non oportet numerare, sed ponderare sententias: quoniam est quadringenti circiter Prophetæ Regi Achab prædixerunt bona, Michæas tamen, qui solus contra illos omnes sententiam dixit, verior illis inventus est, & contra illos omnes prævaluit. Nec tamen hæc ideo dixerim, quod me verum Prophetam, & reliquos omnes falsos esse dicam. Absit. Non sum enim adeo demens, aut philautus, ut me solum pluris faciam, quam reliquos omnes; sed hæc tendit illa historica allusio, ut ex fide historiæ quisque intelligat Deum in hac disputatione id mihi præstare, quod aliis longe promiserat. (Iosue. 23.) *Unus ex vobis persequetur hostium mille viros.* Dei omnipotentis auxilium expecto, qui semper prope esse solet omnibus rectè invocantibus eum. At nullus rectius illum invocatur, quam qui pro tuenda veritate illum orat. Hæc igitur firmissima fiducia manitus, in disputationis campum descendo, pro Legis Poenalis utraque potestate pugnaturus, ut illam, Deo favente, ab hostium injuria defendam, & sic mutuatim relinquam, ut quisquis pro illa deinceps pugnare voluerit, minimo negotio illam tueri valeat.

F. ALFONSI A CASTRO
ZAMOREN. ORDINIS MINORUM,
REGULARIS OBSERVANTIÆ,
DE POTESTATE LEGIS POENALIS.
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.

Quid sit Lex.



QUONIAM non de omni lege, sed de sola lege humana, quæ poenam transgressori infligendam esse decrevit, in hoc opere disserere statui: ideo necessarium esse censui, primum hæc duo singularim pertractare, quid sit lex humana, quid etiam poena, ut inde omnibus aperte constare possit, quid sit lex poenalis, de cujus solius potestate in præsentiarum disputare decrevi. Legem humanam alii aliter definiunt, & inter tam multos illius definitores rarus certe est (absit vero invidia) qui integram, & exactam legis definitionem reddat. Ac proinde quid cuique definitio desit, ea qua potui diligentia circumspectans, unam ex omnibus legis definitionibus nunc colligam, quæ omnes illius partes integre complectatur, & aperte declaret: & deinde in proxime sequenti capite aliam definitionem defectus prodam, & illas mancas, & diminutas esse convincam. Lex est recta voluntas: ejus, qui

vicem populi gerit, voce, aut scripto promulgata, cum intentione obligandi subditos ad parendum illi. Quæ definitio, cum multis & variis in se contineat partes, omnes eas singularim explicare oportet, ut inde constet, nullam illarum superfluum, sed omnes merito fuisse in definitione collocatas. Ante omnia tamen admonere decrevi lectorem, ut intelligat, me hic solam legem justam definire. Quoniam, quæ justa non est, legem nullatenus dicendam esse censet Augustinus, qui libro 1. de libero arbitrio, sic ait: „Mihî lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. Et idem lib. 19. de Civit. Dei, cap. 21. iterum ait: Non enim jura (inquit ille) dicenda sunt, vel putanda iniusta, quæ hominum constituta, cum illud etiam ipsius esse dicant, quod de justitiæ fonte manaverit.“ Hæc Augustinus. Probatur adhuc idem per id quod dicitur in cap. Jus generale, distinct. 1. Ibi enim dicitur, legem esse juris speciem. Lex autem, quæ justa non est, jus non est: ergo lex

illam ostendat discrimen inter legem justam, & injustam, atque tyrannicam. Quæ pro communi civium utilitate statuitur, justa est lex. Quæ vero pro privato commo-
 modo lex daretur communis, injusta esset dicenda, & mera tyrannis. Quam injustitiam, ipsa natura docente, facile poterimus demonstrare. Nam in corpore humano ad ejus imitationem (ut Paulus ait Rom. 12.) vera republica componenda est, quodlibet particulare membrum, natura ad hoc inclinante libentissime patitur sibi aliquid detrahi, & se totum interire, ut totum corpus servetur incolore. Hujus autem contrarium fieri, ut videlicet toti corpori detrimentum inferatur pro alicujus membri, etiam si caput illud sit, pari utilitate assequenda, natura repugnat. Nam etsi quodlibet particulare membrum sigillatim se pro capitis tutela, cuilibet exponat periculo, ut omnia tamen simul periculum subeant, natura non patitur. Quoniam pereantibus reliquis omnibus membris, caput solum salvum consistere non posset. Ita in recta republica, quæ ad imitationem corporis humani formanda est, fieri oportet. Quilibet particularis homo, etiam si Rex ille sit, qui tamquam particulare totius reipublicæ membrum censetur, potius toti reipublicæ, quam sibi soli consulere debet, & potius reipublicæ utilitatem, quam suam debet optare. Et inde aperitissime convincitur, ut lex, quæ spreta communi utilitate, pro solo particulari aliquo commo-
 modo aliquid statueret, injusta sit censenda, & rationi naturali aperte contraria. Ideo Aristoteles 4. Politicorum, cap. 1. dixit: Sunt enim leges omnes ad reipublicam accomodandæ, non autem reipublicæ ad leges. Et eodem lib. cap. 10. de speciebus tyrannidis loquens, ait: Tertia autem species tyrannidis, quæ maxime proprie videtur id nomen habere, opposita est Regiæ potestati absolute. Hanc necesse est tyrannidem unius Principatum esse qui nullis subiaceat legibus, & dominetur æqualium, & meliorum omnium ad propriam utilitatem, non ad utilitatem subditorum. Hæc Aristoteles. Et beatus Basilus in quadam homilia super principium Proverbiorum, ait: Hoc enim tyrannus à Rege differt, quod ille sua ipsius quomodocumque, & undecumque respicit, ac tuetur: hic tantum subditis consulere quærit. Hæc Basilus. Ceterum si alicujus hominis particulare commodum, in bonum totius reipublicæ cedat, de illo juste poterit lex statui, non quatenus particulari bono, sed quatenus totius reipublicæ commo-
 modo per illam provideretur. Et ob hanc causam multæ leges justæ de vectigalibus, & de tributis Regis reddendis statutæ sunt. Multæ etiam leges de Prætoribus, de Edilibus, aliisque id genus Magistratibus. Quoniam hi omnes, etsi in se considerati, personæ sint particulares, quatenus tamen officia publica gerunt, communes censentur personæ. Et hinc evenit, ut leges, quæ pro commo-
 dorum, quatenus personæ communes sunt, aliquid statuunt, justæ merito dici possint, si reliqua, quæ ad justam legem exiguntur, simul adsint. Nam, quod sic pro illorum commo-
 modo statutum fuerit, non tam illorum, quam totius reipublicæ commo-
 modo censendum erit. Ob eandem causam leges, quæ pupillis, & orphanis, & minoribus viginti quinque annis, & servis merito favent, justæ censentur. Quoniam & si pro privato illorum commo-
 modo statuta viderentur, in bonum tamen totius reipublicæ cedunt. Nam expedit reipublicæ, ne quis re sua male utatur, ut dicitur infra, de his qui sunt sui, vel alieni juris, §. Sed hoc tempore. Expedit etiam reipublicæ cives suos esse locupletes, & quod nullus alteri

inferat injuriam, aut damnum. Si autem pro alicujus illorum commo-
 modo quidquam lex statuat, ex quo nullam possit reipublica extorquere utilitatem, sed potius detrimentum, lex illa, ex Isidori sententia, censetur injusta, quia pro particulari commo-
 modo, & non pro civium utilitate fuit statuta. Hæc sunt justæ legis conditiones ab Isidoro enumeratæ, in illo sæpe citato, cap. Erit autem lex, quas omnes ego brevitati citans, duabus voculis comprehendi, quæ à principio hujus capituli legem definiens, dixit: illam esse rectam voluntatem, hoc est, volitionem, aut nolitionem rectæ rationi conformem. Nam omnes illæ legis justæ conditiones (ut plane ostendimus) sunt rectæ rationi conformes. His igitur sic declaratis, opus est ut ad reliquas nostræ definitionis partes interpretandas accedamus. **B** Postquam in definitione legis per me data, dicitur illam esse rectam voluntatem, statim subduntur hæc verba: Ejus qui curam populi gerit. Quæ verba ad hoc ibidem collocata sunt, ut per illa Legislatoris potestas explicetur. Non enim quivis homo potest legem condere: & inde sequitur, ut non cuiuscumque voluntas, quamlibet recta, sed illius solum, qui ad hoc curam populi tenet, sit pro lege tenenda. Nam lex (ut Aristot. docet 10. Ethic.) necessario habet vim cogentem, & efficaciter inducentem ad opus. Is autem, qui populi curam non habet, licet possit alios ad bonum adhortari, non tamen illos cogere, & ideo nec leges illis dare. Hæc autem populi cura, & potestas super illum, licet omnis (ut Paulus ad Romanos, cap. 13. ait) sit à Deo: at tamen diverso modo illum homines à Deo habent, juxta diversitatem potestatis, & curæ, quæ super populum habenda est. Est enim quedam potestas Ecclesiastica, quæ hanc præcipuum habet sui regiminis finem, ut videlicet populum sibi commissum ad æternam perducat beatitudinem. Et qui hanc curam, & potestatem habet, licet ad hoc sit ab homine electus, à Deo tamen potestatem illam suscipit, & per illam suscipit potestatem leges condendi. Est alia potestas laica, cuius hic solus est finis, ut populum in pace custodiat: & hæc potestas, licet sit semper à Deo, non tamen immediate, sed sæpe per populi consensum, à quo primum Deo annuente, aut permittente, illam accipit, nec majorem quam illi populus ab initio concessit. Et qui talem populi regendi curam dedit, eo ipso dedit potestatem eas condendi leges, siue quibus populus bene regi non possit. Constat enim potestatem legem statuendi, jure naturæ populo concessam esse, præsertim ad eas leges sibi condendas, quæ superioris sui vero, & legitimo dominio nequaquam repugnant. Nam quilibet particularis homo potest sibi ipsi statuere regulam, qua vitam suam regat, & moderetur, etiam cum obligatione faciendi id, quod lege decreverit, si id quod apud se statuit, nulli superioris sui legitimo decreto obviet. Quilibet enim est rei suæ moderator, rector, & arbiter, ut dicitur in lege. In re mandata, C. Mandati. Idem profus de toto populo, aut tota republica dicere oportet. Quoniam nulla recta ratio patitur, ut totus populus in legibus ferendis circa se ipsum non habeat eam potestatem, quam quisvis particularis homo habet in se ipso. An autem ea rationis regula, quam homo ad vitam suæ regimen sibi ipsi statuit, si lex dicenda, an non, parum refert ad id quod intendimus. Scio enim esse aliquos, qui censent illam non esse dicendam legem, propterea quod ea, quæ homo sibi ipsi statuit, non respiciunt bonum commune, sed solum bonum illius particulare. De qua re nolo nunc disputare, quoniam etsi constaret illam non respicere bonum commune, a proinde

proinde regulam illam non esse dicendam legem, negari tamen non posset, quemlibet hominem habere potestatem statuendi sibi talem regulam, quæ superioris voluntati non repugnet, & inde sequitur, ut multo melius populus habeat talem potestatem. Præterea, sicut se habet totum homini corpus ad quodlibet ejus particulare membrum, ita se habet totus populus ad quemlibet hominem totius populi. At corpus hominis singulis quibusque membris imperat, & illis ad suam utilitatem utitur. Oportet igitur, ut populus totus singulis quibusque illius hominibus imperare possit, & illis ad commodum suum uti: & inde aperte consequitur, ut illis omnibus juste possit leges dare. Tam aperta, & manifesta est hæc populi potestas, ut antiqui Philosophi nihil aliud dixerint esse legem, quam populi consensum, qui quid faciendum, quidve fugiendum sit, declarat. Nam Xenophon libro primo de Factis, & Diæti Socratis, refert Periclem his verbis legem definisse. Omnes, quas in unum conveniens, & consentiens vulgus conscripserit, explanans quæ sunt faciendæ, quæve fugiendæ, sunt leges. Et lib. 4. refert Hippium cum Socrate disputantem, & eisdem fere verbis legis definitentem. Denique Julianus Jurisconsultus in leg. De quibus, ff. de Legibus, censet leges nulla alia ex causa obligare, quam quod judicio populi receptæ sunt. Sed quia sæpe evenit, ut ibi est multitudo, ibi sit confusio, ideo decuit, ut populus hanc potestatem quæ sibi jure naturæ concessa erat, in aliquem, aut aliquos transferret, qui re bene (ut oportet) circumspicere, atque toti populo daret, quibus ille vitam pacificam agere posset, ut haberetur ff. de Origine juris, leg. 2. §. Deinde quia difficile, & in leg. 1. ff. de Constitutionibus Principum. Jura naturæ, etiam postquam illa depravata fuit, nullus est populi Rex, aut Dominus, sed hi principatus, aut dominia, quæ juste tenentur, ex populi consensu eveniunt. Primus Rex, qui est à Deo hominibus datus (ut Regum narrat historia 1. Reg. 8.) non nisi populo primum petente fuit illi concessus. Deinde populi varii, varios sibi Reges elegerunt, eos videlicet (ut Justinus in principio suæ historię refert) qui prudentia, & rectis moribus reliquos excedebant, & qui rectius reipublicam gubernare possent. Postea vero, quia apud multos regnum in tyrannidem versum est, regni nomen multi populi delere curarunt, & gubernandi potestatem non uni soli homini, sed multis commiserunt. Qui gubernandi modus non unus ubique servatus est, quoniam una reipublica pauculis aliquot hanc rem delegavit; alia multis, sed qui omnes essent ex optimatibus, pars ex mediocribus, pars ex infima plebe. Quocumque autem modo hæc plebs agatur, constat illam gubernandi potestatem, quæ justa dicenda est, ex populi consensu esse ortam: & inde sequitur, ut potestas, quæ nullam habuit ex populi consensu originem, non justa, sed tyrannica sit dicenda. Nisi forte talis potestas fuerit ab ipso Deo alicui ad populum regendam tradita; quoniam is, qui ex tali potestate sibi concessa, populum reget, non tyrannice, sed justissime ageret, etiam si tali potestate non ex populi consensu, sed eum illius contradictione uteretur. Nam David, etsi non à populo regni gubernacula suscepit, non tyrannus, sed verus Israeliticus populi Rex censetur, quoniam Deus per Samuelem hanc gubernandi potestatem illi concessit (1. Reg. 16.) Et ideo justissime populo illi leges dare potuit. Ob eandem causam Petrus Apostolus justè totius Ecclesiæ regimen habuit, quia licet nullus ad hoc ipsius Ecclesiæ consensus fuerit requisitus, ipse ta-

men Salvator hanc illi dedit potestatem, ter dicens: (Joann. 21.) *Pasce oves meas.* Quæ potestate utens, justè potuit toti Ecclesiæ dare leges, quæ ad bonum illius regimen viderentur necessarie. Idem alius Petri successori-
 bus contingit, qui licet ab Ecclesia ad illius regimen eligantur, non tamen ab ipsa Ecclesia, sed à Christo hanc habet supremam potestatem, qui eam omnibus illis in Petro concessit. Ille igitur principatus, aut magistratus, sive in uno, sive in pluribus consistat, qui à populo accipit potestatem gubernationis, ab illo etiam accipit potestatem leges condendi, quæ ad bonam reipublicæ moderationem utiles videbuntur. Cui hæc potestas non est à populo delegata, sicut nec gubernare, ita nec leges condere potest. Leges, quæ ab ipsi Principibus, aut Magistratibus conditæ sunt, ideo validæ dicendæ sunt, quia ex ipsius populi consensu proditiæ censentur. Et hinc ego deduco, eam legem, quæ de re, jure divino minime necessaria existens, à Principe, aut quovis Magistratu, toto populo contradicente, condita foret, nullius profus esse roboris, nisi forte populus omnem suam potestatem in Principem, aut in Senatum transfuisset, nihil sibi reservans. Hanc tamen tam prodigam suæ potestatis, & liberatis effusionem, vix credi potest populum aliquem fecisse. An autem populus tam prodigus suæ potestatis fuerit, an non, ex consuetudine ipsa, & usu conjectari poterit. Nam si Princeps, aut Magistratus cui hæc potestas est à populo tradita, solet ab antiquis temporibus sine populi consensu, immo illo invito aliquid statuere, quod populus servare cogatur, aperte convincitur populum omnem suam potestatem in Principem, aut Magistratum transfuisse. Et tamen dato, non per hoc tollitur, quin populus possit à legibus illi noviter datis appellare, aut supplicare. Et tunc erit necessario audiendus, si causam justam reddat, propter quam non sit ad tales leges obligandus: quam si non reddiderit, invitus poterit justè ad illarum observationem cogi. Si vero in aliis rebus Princeps, aut Magistratus, cui hæc potestas leges condendi est à populo commissa, nihil contra populi consensum statueret solet, inde convincitur populum, non omnino renuntiasse juri suo, nec omnem suam potestatem in alium transfuisse. Et inde, mea sententia, deducitur, ut si Princeps, aut Magistratus talem potestatem à populo habens, vellet lege ab eo condita populum contradicentem cogere ad aliquid lege divina, aut naturali minime necessarium, sit tyrannus dicendus, quia majorem potestatem erga populum sibi commissam exerceret, quam vere habeat. Hoc autem de sola laica potestate intelligi volo, quoniam hæc sola à populo accipit suæ potestatis robur. Ecclesiastica autem potestas, quia (ut diximus) non à populo, sed ab ipso Deo vim potestatis habet: ideo etiam sine populi consensu, poterit leges condere de his rebus quæ ad finem ultimum assequendum essent necessarie, aut valde conducibiles. Sed hic forte dubitabit aliquis, an hi, qui post legem à potestate laica conditam nati sunt, teneantur ad ejusdem legis observationem, cum illi non consenserint legi, nec illorum consensus sit requisitus. Respondeo illos omnes, qui post datam legem succedunt, etiam si longissime ab illa legis creatione distent, obligari ad ejusdem legis observationem, quousque lex sit per contrarium consuetudinem, aut per aliam legem abrogata. Quoniam illi etsi non proprio, & expresso consensu sint ligati: ligantur tamen per consensum præsumptum, & quem necessario præstare tenentur. Nam alias oportet à quolibet homine nato perire consensum, aut novis hominibus nascentibus, a novas

lex dici non potest. Quia cui genus non convenit, nec ulla generis species illi convenire poterit. Quibus prenotatis, ad singulas nostrae definitionis partes interpretandas accedo.

Cum igitur primo dixi, legem esse voluntatem rectam, non sum usus nomine voluntatis, ut ipsam animae liberam potentiam significar, sed ut ipsos ejusdem potentiae actus denotat: quemadmodum Paulus eadem usus est voce, quum dixit: (Rom. 10.) *voluntas cordis mei, & obsecratio ad Deum, sit per illis in salutem.* Et rursus alibi (Eph. 2.) *Potentiam voluntatem carnis.* In quibus omnibus locis nomen voluntatis capitur, non pro ipsa animae potentia, sed pro quovis illius potentiae opere, quia volitio, aut nolitio dicitur. Et quia utrumque horum, videlicet volitio, aut nolitio, potest vim legis habere, ideo ego, ut utrumque una voce complecterer, homine voluntatis sum usus. Non est enim lex opus solius intellectus, sed necessarium est, ut ipsi intellectui accedat voluntas, jubendo aut prohibendo id quod ab intellectu praecognitum est. Qua voluntate seclusa, etiam si is, qui legem statuere possit, multa scripto aut voce proferat, quae honesta & republicae utilia esse dicat; nullum tamen illorum pro lege tenendum erit. Non enim id quod princeps novit, aut bene intellexit, sed quod principi placuit legis habet vigorem, ut dicitur in leg. 1. si de constitutionibus Principum. Et beatus Augustinus lib. 4. de Civit. Dei, loquens de tempore illo verustissimo, quo primum regna inter homines ceperunt, ait: „Populi nullis legibus tenebantur; arbitria Principum pro legibus erant.“ Haec Augustinus. Praeterea hoc apertissime constare potest ex ipsis legis effectibus, qui (ut habetur in 1. leg. virtus, ff. de legibus) sunt imperare, vetare, permittere, punire. Nullus enim horum effectuum convenit intellectui: sed omnes (ut notatum est) sunt proprii voluntatis effectus. Deinde ipsum legis nomen, si vera illius origo recte consideretur, aperte indicat, legem ad voluntatem & non ad solum intellectum pertinere. Nam lex ab electione dicta est, prout Cicero lib. 1. de Legibus docet, sic inquit: Arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere, eamque rem illi Graeco purant nomine, suum cuique tribuendo, appellatam, ego vero a deligendo. Nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumque legis est. Haec Cicero. Pro quorum verborum apertiori intelligentia animadvertere oportet, legem a Graecis dici *nemos*, quod nomen ab hoc verbo *Nemo*, vel ab hoc verbo *Nemo* deductum est. Utrumque enim recte dicitur, & utrumque latine redditum, significat distribuire, aut dividere. Et ob hanc causam dixit Cicero, legem Graeco nomine appellatam, quod lex iusta suum cuique tribuat. Et merito sic eam appellarunt, quia lex (ut ego censo) sub iustitia distributiva continetur. Ipse tamen Cicero dicit, latine legem dici a deligendo, quia latine vim delectus in lege ponunt. Quo autem pacto sit vis delectus in lege, exprimit Augustinus (si modo titulus libri non fallit) in lib. quaest. veteris & novi testamenti, in 2. parte additionum, quae addita sunt in impressione Parisiensi, per Claudium Chevalonium, quaest. 15. ubi sic ait: „Lex, a lectione dicta est, ut de multis quid eligas, scias. Inclaravit, per hoc quod erant onera gravia & importabilia, hoc est, nimium difficilia. Quod autem non proflus impossibilia, sed nimium difficilia, hoc loco appellaverit importabilia, verba quae subjunxit, aperte ostendunt. Nam post haec verba, de eisdem Pharisaeis & Scribis loquens,

convincitur errare eos, qui dicunt legem esse actum prudentiae. Fateor quidem, prudentiam esse summe necessariam in legislatore, ut sciat quid lege statuendum sit: non tamen inde sequitur, legem esse prudentiam aut actum illius. Nam hac ratione oporteret etiam omnes illas virtutes, quas usitato vocabulo morales dicimus, esse prudentiam dicendas, quia nulla illarum, nisi comite & pravia prudentia, potest propriam suam operationem efficere. Et ob hanc causam, ego legem definiens, dixi: illam esse rectam voluntatem. Quam voluntatis rectitudinem ex hoc solo pensanda esse censo, si sit recte rationi, aut vere prudentiae conformis. Et sub his verbis comprehendi volo aliquas ex multis legis iustae conditionibus, quae enumerantur in cap. Erit autem lex, dist. 4. Multa illic Isidorus refert esse ad justam legem necessaria. Quorum omnium, si alterum legi subtraxeris, non erit illa recte rationi conformis. Primum illorum est, quod lex sit possibilis, hoc est, possit observari ab illis quibus datur. Nulla enim ratio recta permittit, ut lex possit aliquid obligare ad id quod illi praestare non potest. Vulgarissima, & ab omnibus celebrata est illa Augustini sententia, quae ait, neminem peccare in eo quod vitare non potest. Et idem Augustinus in quodam sermone ait: Dominus servum pigrum non damnaret, si ea quae fieri nullo modo poterant, imperaret. Et beatus Hieronymus in quadam epistola ad Damasum, ait: „Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini praecipuum esse, & mandata, non a singulis posse servari.“ Haec Hieronymus. Si lex divina non obligat, nec obligare potest ad impossibile, qui sit, ut lex humana, quae multo minoris potentiae est, possit ad impossibile aliquos homines obligare? Igitur rationi rectae conforme est, ut lex quae iusta esse debet, possibilis sit, hoc est, ut ea solum praecipiat, quae servari possunt. Nec satis esse puto ad veram legem, ut possibilia sint, quae illa praecipit, sed oportet quod non sint nimium difficilia. Et hoc ipsum intelligi oportet sub nomine possibilis. Nam quae nimium difficilia sunt (ut Aristoteles lib. 5. Metaphysicae ait) impossibilia solent appellari. Ob hanc enim causam Petrus Apostolus de caeremoniis & iudiciis Moysae legis loquens, dixit: (Act. 13.) *Quid tentatis imponere iugum super cervicem discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?* Quae Petri verba non sic accipienda sunt, ut ille dicere velit, legem Moysaeam fuisse proflus impossibilem, & minime observabilem. Absit. Quoniam si talis illa fuisset (ut ex his quae nunc proxime diximus, constat) nunquam Deus illum Judaeis dedisset. Solam igitur legis difficultatem, & non impossibilitatem per illa verba Petrus exprimere voluit. Et ob hanc causam inter multas alias, legem illam veterem, quae est tunc populo illi duro, & ad idololatriam prono, iuste data est, Deus revocavit, & pro illa legem Evangelicam, quae multo facilior & suavior est, substituit, ne homines legis difficultate a servitio Dei, & illius obedientia se excusare possent. De lege & praecipis suis Salvator noster loquens, dixit: (Matth. 23.) *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Contra vero, Pharisaeorum & Scribarum leges & praecipia redarguens, dixit: (Matth. 23.) *Aliquant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Quibus verbis iniusta esse illorum praecipia declaravit, per hoc quod erant onera gravia & importabilia, hoc est, nimium difficilia. Quod autem non proflus impossibilia, sed nimium difficilia, hoc loco appellaverit importabilia, verba quae subjunxit, aperte ostendunt. Nam post haec verba, de eisdem Pharisaeis & Scribis loquens,

sta-

statim, addidit: *Ipse vero digito suo nolunt ea movere.* Quae verba interpretans Chrysostomus, homilia 37. super Mattheum, ait: „Non dixit, non possunt, sed nolunt, nec portare, aut ferre, sed digito movere, hoc est, nec prope accedere, nec tangere volunt, sed diligentes, atque robusti in prohibitis sunt.“ Haec Chrysostomus. Ex qua Chrysostomi annotatione aperte convincitur, onera illa quae Pharisaei, & Scribae imponebant super humeros hominum, hoc est, illorum praecipia, non ideo dicta esse a Christo Salvatore nostro importabilia, quia impossibile esset ea portare, sed quia difficillimum hoc esset. Ex hac legis iustae conditione oritur, ut in multis rebus non possint universales pro omnibus dari leges. Quia cum non sit omnibus aequa facultas, & potentia, contingit saepe, ut quod facillimum est uni, sit alteri difficillimum, & quod uni est possibile, alteri sit impossibile. Et in huiusmodi rebus iniusta debet conferri lex, quae sine ullo discrimine omnes eadem mensura metiri vellet. Iniusta certe esset lex, quae senes obligaret ad portandas farcinas, quae viribus juvenum essent fere pares. Iniustam etiam eadem ratione censerem legem, quae illud tributum a paupere exigeret, quod non nisi dives reddere possit. Alia ad legem iustam exacta, quae referuntur in illo praedicto capite, erit autem lex, facile cognoscuntur esse recte rationi consona. Nam recte rationi congruit, ut si consuetudo patriae est honesta, & republicae utilis, observetur, & pro lege habeatur. De tali enim consuetudine ego intelligendum puto id, quod ab Isidoro sumptum refert Gratianus, in cap. Consuetudo, dist. 1. Et lex quae hanc abrogaret consuetudinem, iniusta censenda esset, nec digna, quae observari debeat. Si vero consuetudo, nec honesta, nec inhonesta est, nec republicae utilis, aut inutilis, expedit eam tolerare, ne forte illam abrogare tentantes, alicuius mali occasione praebent. Si autem consuetudo mala esset, ut puta, quia inhonesta, aut republicae incommoda, juxta hanc, lex infuiti non debet, sed potius est per legem omnino tollenda. Quoniam sicut consuetudo illa mala est, ita & lex quae secundum illam statueretur, erit iniusta dicenda. Aliae duae legis iustae conditiones, quae in illo saepe dicto capite proxime sequuntur, videlicet, quod lex sit loco, & tempori conveniens, circumstantiae sunt, quae fere in quolibet opere virtutis considerari solent, & tunc necessariae ad virtutis opus censentur, quando de illis speciale praecipuum est datum. Legem autem statueret est opus virtutis, & inde convincitur, ut in illa statuenda oporteat considerare locum, & tempus. Locum in quo lex statuitur, considerare oportet multiplex ratione. Primo quidem, ne (ut nunc proxime admonuimus) aliquid statuatur, quod patriae consuetudini adversetur. Deinde, quia juxta locorum varietatem saepe multarum rerum conditiones variantur; & inde sequitur necessarium, ut si de rebus illis aliquid sit lege statuendum, juxta locorum varietatem leges etiam varias statuere oporteat. Constat siquidem alia in aliis locis esse rerum praetia, propterea quod aliqua in aliquo loco abundant, & paucis illa perquirunt, quae in alio loco sunt minus rara, & a multis desiderata. Si istarum rerum praetia essent lege statuenda, necessarii oporteret aliam alii loco condere legem, quum non possit unam in omni loco ejusdem rei justum statui pretium. Et ob eandem causam convincitur etiam, ut in lege statuenda temporis conditio consideretur. Quoniam aptissimum est, ex temporum accursu motes hominum

variari, & ideo necessarium erit, ut diversis succedentibus moribus, diversa etiam antidota per leges parentur. Mutantur etiam successu temporis multarum aliarum rerum conditiones: ob quam causam evenire necesse est, ut quod uno tempore utile est, alio tempore sit nocivum: quod hodie vile est, propter nimiam illius abundantiam, post mensem sit magnae aestimationis, quia rarum est, & a multis optatum. Si de his omnibus leges statuendae, oporteret necessario id eo tempore, quo nocivum est, prohibere: quod alio tempore quo professe potest, esset permittendum, & majus decerneret id pretium eo tempore quo rara est, quam eo tempore quo abundat. Has, & alias causas considerans Concilium generale Lateranense, sub Innocentio tertio, celebratum, ait: Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta, quandoque variantur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Haec Concilium. Et habetur in cap. Non debet, extra de Coniung. & Affi. Verum & si leges humanae pro temporum varietate mutari possint, id tamen non facile, nec pro Gubernatoris arbitrio, sed pro necessitate faciendum esse docet Aristot. 2. Polit. cap. 6. sic inquit: Assuetudine vero facile leges mutare, improbandum. Constat vero, errata quaedam esse toleranda, & Legumlatorum, & Magistratum. Non enim tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocere assuetudine superioribus non parendi. Et aliquibus interpositis, subdit: Quare facile mutare leges ex praesentibus in alias potas, infirmam facere est vim legis. Haec Aristoteles. Additur deinde ab Isidoro, inter conditiones legis iustae, quod sit illa necessaria, & utilis. Quo loco illud nomen, necessaria (ut optime beatus Thomas interpretatur, quaest. 95. art. 3.) non dicit necessitatem absolutam, qualis est in eo, quod aliter evenire non potest, sed dicit necessitatem conditionalem, sive moralem, quae, ex sine sumenda est. Ita ut illud dicatur necessarium, sine quo finis, ad quem illud dirigitur, haberi non potest. Et quia hoc utilis nomen conferri solet, ut aliquid inter necessarium, & utile poneret beatus Thomas discrimen, & sic Isidorum a vitio superfluitatis, quo laborare videbatur, liberaret: dicit necessitatem referendam esse ad remotionem malorum, quae lege prohibentur, utilitatem vero ad consequentem bonorum. Manifestam etiam oportere esse legem docet ibidem Isidorus, cuius causam reddit apertissimam, & recte rationi consonam, sic inquit. Ne aliquid per obscuritatem incautum captione committat. Ultima legis iustae conditio ab Isidoro posita est, ut pro nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate statuatur. Quam legis proprietatem, sive conditionem Glossator Decretorum sic interpretatur, ut dicat illam: ad hoc solum positam esse, ut per illam distinguatur lex a privilegio. Nam eam legem, quae pro privato commodo statueretur, ille, censet dicendam esse privilegium. Quo fit, ut si Princeps, lege ab eo data, omnes suos subditos ad tributum aliquod iniustum illi perpetuo perfolvendum cogeret, lex illa, juxta Glossatoris sententiam, sit dicenda privilegium, quia pro solo privato ipsius Principis commodo esset statuta. Hoc autem quam longe a veritate distet, quilibet vel mediocriter doctus intelliget. Nam privilegium a lege communi per hoc distinguitur, quod lex communis omnibus datur, & omnes obligat: privilegium vero non omnes, sed privatam personam respicit. Ideo illam particulam ab Isidoro ultimo loco positam, aliter intelligendam esse arbitror, ita ut per

Tom. II.

Ppp

il-

semper condere leges. Hoc autem quam sit absurdum, & à ratione alienum, nemo est qui non videat. Quia, quocumque homine particulari nato, non variatur populus, ut propter illius nativitatem alius populus censetur, sed idem semper dicitur, & eodem vocatur nomine. Nam ob hanc causam Ecclesia Catholica, quæ à primo iusto incipiens usque ad finem mundi protenditur, una tantum Christi sponsa esse censetur. Ipse enim sponsus unicam illam esse dicit, sic inquit: (*Cant. 6.*) *Una est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Et Paulus Apostolus apertius declarat unicam esse Christi sponsam, sic dicens: (*Corinth. 12.*) *Respondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* In quibus verbis id annotandum est, quod dixi virginem, & non dixi virgines: ut unicam illam esse ostenderet. At, si aliis atque aliis succedentibus hominibus, aliam semper oporteret dicere rempublicam, aliumque populum, necesse esset fatari, tot Ecclesias Catholicas successu temporum fluxisse, quot sæcula præterierunt. Deinde, si princeps privilegia aliqua concedat alicui civitati, etsi omnes, qui tunc vivebant, moriantur, non eo ipso, privilegia petire dicentur: sed ad posterum derivata esse iudicabuntur, propterea quod posteriores cum prioribus censentur esse idem populus. Et inde aperte deducitur, ut idem sit etiam dicendum in legum obligatione, ita ut qui post legem æditiati sunt, teneantur ad illius observationem, cui priores consentirent. Quia quandiū totus populus tacet, & legi antiquæ non contradicit, consentire videtur. Cui populi consensui quilibet particularis homo se conformare tenetur, & per consequens legi obedire.

Additur deinde in definitione legis per me data, quod lex sit voce aut scripto promulgata. Quæ promulgatio ad hoc necessaria est in lege, ut per illam legislatoris voluntas innoscere possit his, quibus lex datur. Non est enim æquum, aut rationi consentaneum, ut quis possit obligari ad faciendum id, quod nullo modo implere potest. Constat autem neminem posse velle, id quod profus ignorat. At necesse est, legislatoris voluntatem, quæ nec voce, nec scripto manifesta est, esse profus ignoratam. Et inde apertissime sequitur, ut legislatoris ignoratam voluntati, nemo possit obedire. Ex quo ulterius deducitur, ut legislator neminem sua voluntate obligare possit ad aliquid faciendum, nisi prius suam voluntatem illi notam fecerit. Hæc autem nisi voce aut scripto manifestetur vix poterit alicui (ut oportet) esse nota. Tanta est in statuenda lege publicationis necessitas, ut Deus ipsi cui rerum est summa potestas, non possit lege positiva ab eo data, citra eisdem legis publicationem, aliquid ad illius observationem obligare. Execramur (inquit Hieronymus ad Damasum) eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini præceptum esse, & mandata non à singulis posse servari. Hæc Hieronymus. Et Ambrosius libro primo de Jacob, & vita beata capite tertio, ait. Nemo tenetur ad culpam, & nisi voluntate propria deflexerit. Hæc ille. At non potest propria voluntate ab aliquo deflectere, qui ignorat id, à quo deflectit. Quoniam (ut Augustinus ait) voluntas non fertur in incognitum. Denique, ipsa veritas hoc idem apertissime docet, sic inquit. (*Joan. 15.*) *Si non venissem, & loquutus es non fuisset, peccatum non haberent.* Quibus verbis, non de omni Judæorum peccato Christus loquens, sed de solo infidelitatis peccato, quo noluerunt credere illum esse verum Deum, dixit illos fuisse ab illo peccato excusandos, se de illa re non fuissent ab eo plene edocti. Quia poterant legitimum prætexere ex-

cusationem, dicentes se nihil tale audivisse, numquam hanc veritatem fuisse illis legitime publicatam. Hoc tamen hac conditione intelligendum est, si ipse non impedivit, ut lex non publicaretur: quia tunc si ipse impedivit publicationem, non excusaretur per ignorantiam. Unde Augustinus ait. Ille ignorans non potest excusari à pena, qui, quod diceret, non invenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui, habentes à quo dicerent, operam non dederunt. Hæc Augustinus. Et citatur à Gratiano in cap. final. dist. 37. Et inde sequitur, ut multo minus excusari possint, qui habentes à quo dicerent, non solum operam non dederunt, sed obliterant his, qui docere volebant. Tanta est ad legis rigorem necessitas publicationis, ut Gratianus censet tunc leges infirmas, quam promulgantur. cap. In istis dist. 4. Tunc quidem infirmi dicuntur, quia tunc ex ipsa promulgatione incipiunt obligare subditos, ad quorum potestatem per talem solemnem promulgationem perveniunt, nam etsi lex aliquando duorum mensium spatium statuat, ut lex obliget post publicationem, prout habetur in Auren. ut fac. no. consil. col. la. 6. hoc tamen spatium ad forum exterius referendum est, & non ad forum conscientie. Quoniam si his duobus mensibus post publicationem transactis, quis talem legem esse solemniter promulgatam, sine culpa sua ignoraverit, is nondum in conscientia obligatur ad illius observationem. Quia non est æquum, nec rationi consentaneum, ut quis obligetur ad id, quod sine culpa sua ignorat: quoniam obligaretur ad impossibile, quod nullatenus est admittendum. Præterea is, qui post tempus publicationis à lege præfixum, legem transgressus est, & vult probare ignorantiam suam, admittit ad probationem, ut docet Panormitan. in cap. Cognoscentes de consil. & colligitur ex cap. finali. qui matrim. accus. post. sunt, & cap. 1. de post. præ. ubi dicitur: quod illis, qui ignorantiam allegant, non facile credendi facultas tribuitur. Ex quo sequitur, quod admitti potest ad probationem, quamvis eam difficile præstare possit. Frustra autem admittitur ad probationem ignorantie, si illa probata, non excusaretur à culpa. Et inde apertissime vincitur, ut nullus, qui sine culpa sua legem ignorat, sit obligatus in conscientia ad eisdem legis observationem, quamvis sit illa solemniter promulgata, & promulgationis spatium à lege præfixum, jam fuerit elapsum. Ob hanc causam graviter olim puniebantur, qui debebant librum Prætorum, in quo tales leges scribebantur leg. si quis id ff. de iurisdic. omni. judi. & infir. de iure naturali gentium & civili. paragr. Prætorum quoque edicta, & glossa ibi in verbo, edicta. Sic enim scripturam delentes, impediabant ne legum notitia ad posterum transiret, & sic obligatio observationis præteriret. Oportet autem leges quæ constringunt hominum vitas, ab hominibus sciri & intelligi, ut universi præscripto earum manifestis cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. C. de legibus leg. leges sacratissimæ. Hæc tamen omnia, quæ de necessitate publicationis diximus, non sunt de lege naturali intelligenda, quoniam hæc, cum sit in cordibus hominum scripta, non indiget aliqua alia publicatione. *Insuper aliqui & nonnulli, hinc*

Ultimo additum est in definitione legis superius data, quod sit cum intentione obligandi subditos ad parendum illi. Non enim quilibet legislatoris voluntas, etiam si voce aut scripto fuerit sufficienter promulgata, est pro lege tenenda, nisi talis sit, quæ subditos constringat ad id, quod lege decretum est. Nam si legislator ali-

quid subditis suis consuleret, tali consilio aperte suam voluntatem illis patefaceret: illa tamen voluntas non esset pro lege tenenda: quia per illam nequaquam subditi congerentur ad aliquid faciendum, aut ab illo fugiendum. Lex autem (ut Aristot. 10. Ethico. cap. 9. docet) vim habet cogentem & necessitantem. At necessitate & ad opus impellere non potest legislator, nisi præcipiendo aut prohibendo: ergo sola illa legislatoris voluntas, quæ per præceptum aut prohibitionem manifestatur, est pro lege tenenda. Sed forte contra hoc quis argumentabitur, quod voluntas legislatoris, quæ permissio manifestatur, est pro lege tenenda, ut patet per legem, legis virtus ff. de legibus. Ubi inter legis virtutes recensetur permissio, perinde ac præceptum & prohibitio: ergo tale decretum, quo aliquid legislator permittit, erit pro lege tenendum; veluti quando militi permittit, ut post sententiam uti possit exceptionibus suis C. de iuris & facti ignoran. leg. 1. Respondeo huiusmodi legislatoris permissiones esse pro legibus tenendas: quia in omnibus talibus sunt quædam præcepta latenter permixta. Nam eo ipso, quod militi permittit, ut post sententiam uti possit exceptionibus, iudici præcipit, ne illum à tali suffragio repellat.

CAPUT II.

Quomodo sint intelligenda quedam legis definitiones à Cicerone data, & quedam aliæ à variis jurisconsultis reddita in titulo de legibus, libro primo Digestorum.

Ostenfa jam & sufficienter declarata vera legis definitione, superest, ut juxta id, quod promissimus, definitiones legis, ab aliis viris sapientibus datas, perscrutemur, & illarum defectus prodamus, aut benigne illas interpretemur, ut illarum auctoritas honorem aliquem deferamus. Cicero libro primo de legibus legem definit, ait: Lex est ratio summa iusta in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Quæ definitio etsi adeo Ciceroni placuerit, ut sæpe illam in eodem libro iteraverit, bifariam tamen meo iudicio peccat. Primo quia falsum est quod dicit, & secum pugnantia continet. Lex quidem non est opus intellectus, sed voluntatis. Non enim per hoc lex statuitur, quod legislator aliquid iuste faciendum esse intelligit, sed per hoc quod ille, id quod iustum est, ab his, qui illi subduntur, ita fieri vult. Nam (ut dicitur insitit. de iure naturali. paragr. sed & quod principi) quod principi placuit, legis habet vigorem. Præterea, in definitione illa dicitur legem jubere ea, quæ facienda sunt, prohibereque contraria. Si lex jubet aut prohibet: ergo non est ratio; quia jubere & prohibere opera sunt voluntatis & non intellectus. Secundo peccat illa definitio; quia etsi daremus voluntatem quodammodo ad rationem pertinere, & partem aliquam illius esse, adhuc definitio illa non esset bona, quia non omni legi, sed soli legi naturali convenit. Ba enim sola est, quæ in nostra natura insita est: aliæ autem non sunt insitæ in natura. Quod ex eo apertissime constat, quod non sunt, immo nec esse possunt omnibus notæ, sed multæ ex illis à doctissimis viris absque ullo peccato ignorantur. Hoc autem contingere non potest, si omnes illæ leges essent insitæ in natura. Nam ob hanc solam causam Theologi omnes concorditer docent, ignorantiam legis nature neminem excusare à transgressione illius legis; quia cum sit homini insita à natura, nullus, nisi qui per

Tom. II.

peccatum excæcatus fuerit, illam ignorare potest. Hæc est enim illa lex, quam Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola, (*cap. 2.*) dicit esse scriptam in cordibus hominum, ac proinde homines naturaliter ea, quæ legis sunt, facere censet: quia naturali ratione suadente, sine aliquo alio præceptore intelligere valent ea, quæ lex in Decalogo præcipit. Si multæ sunt leges, quæ citra omnem culpam ignorantur, convincitur inde illas omnes non esse in ipsa natura insitas: & per consequens definitionem legis à Cicerone datam, illis minime convenire. Deinde, si omnes leges essent in ipsa natura insitæ, omnes etiam essent eadem apud omnes. Nam Aristoteles in quinto Ethicorum dicit, jus naturale esse illud, quod ubique habet eandem potentiam. Non sunt autem eadem leges apud omnes, sed variantur juxta varias locorum consuetudines, & juxta id, quod temporum varietati convenit, prout declaratum est in capite præcedenti: ergo non omnis lex est in ipsa natura insita. Et inde manifeste colligitur, definitionem legis à Cicerone scriptam, non omni legi, sed soli naturali convenire. Rursum si omnis lex esset insita in ipsa natura, nulla lex mutari posset, & iuste abrogari: quoniam ea, quæ naturæ insita sunt, perpetuo feedere, sunt ipsi naturæ conjuncta, nec ab ea umquam divelli possunt. At multæ sunt leges, quæ temporum successu mutandas esse, ipsa natura & rerum experientia docet. Unde Aristoteles eximius naturæ indagator, querens an expediat unquam patrias leges mutare, in 2. Politicorum, capitulo sexto, per hæc verba respondet. Melius videri potest, ut mutationem recipiant. Nam in aliis quidem scientiis hoc profect, ceu si Medicina ab infirmitatis patriis mutetur, & gymnastica & aliæ artes atque facultates: quarum cum una sit ponenda civilis disciplina, patet in ea quoque eandem rationem esse tenendam. Probari autem hoc dicit aliquis & in ipsis legibus. Antiquæ enim leges nimium rudes erant & barbaræ. Armati liquidem ferro incedebant Græci, & uxores emebant invicem, & quocumque vetusta iura alicubi existant, penitus rudia sunt. Hactenus Aristoteles. Ex quibus verbis aperte constat errasse Lyncurgum Lacedæmonum legislatores, qui censuit leges profus non immutandas. Nam postquam leges Lacedæmonis dederat, optans eas perpetuo constantes fore, dixit se Delphos adire velle, ut illie Apollonis oraculum consuleret, rogatque Lacedæmonios, ut constitutis ab eo legibus insisterent, neque ex illis quicquam immutarent, quousque ex Delphis ipse reverteretur, & Apollonis responsum rediens, illis nuntiaret. Cui petitioni cum omnes consentirent, ut firmam & indubitatam illorum promissionem faceret, juramentum ab optimatibus & populo, ut promissa servarent, accepit. Abiens autem Lyncurgus numquam rediit, sed Creta obiit (ut Plutarchus Aristocrati testimonio, in vita illius refert) hospites suos præcatus est, ut corpus exurerent, & cineres in mare dispergerent, nequod forte reliquias ejus delatit Lacedæmonem, illi ob hanc causam se à juramento liberos esse putarent, & sic leges ab eo conditas mutare tentarent. Quæ res etsi à rudi illa antiquitate nimium celebrata fuerit, indigna tamen est, quæ laude decoretur. Quoniam etsi bonum sit (ut in præcedenti capitulo Aristotelis testimonio diximus) leges non facile mutare: non tamen necessarium est illas esse profus immutabiles, sed juxta temporum varietatem sæpe illas mutare oportet. Et inde convincitur eas, quæ mutabiles sunt, non esse in ipsa natura insitas, & per consequens juxta Ciceronis definitionem non esse leges dicendas. Sed in excusationem

Qqq

Ci.

Ciceronis dici possit, omnem legem esse insitam in natura: propterea quod in ipsa natura sunt insita principia legis naturalis, à quibus reliquæ omnes leges derivantur, quamvis non omnes eodem modo ab illis principiis deducuntur. Aliquæ enim sunt, quæ à principiis legis naturalis deducuntur, tamquam effectus necessario à causa naturali producti, sicut conclusiones producuntur à principiis, per medium bonæ consequentiæ. Talis est lex prohibens usuram, quæ ex prohibitione furti proximo derivatur: & ultimo deducitur ex illo primo principio legis naturæ. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Talis est lex, quæ fraudem alteri fieri prohibet, & fraudem nemini optulari præcipit. Quæ lex ex illo primo legis naturæ principio, nunc proxime citato, manifeste deducitur. Tales leges, esse ab hominibus latæ dicantur, quia ingenio humano à principiis naturæ derivatæ & explicatæ sunt: leges tamen naturales vere dici possent, potius quam humanæ, quia nihil à voluntate humana, sed totum suum robur ab ipsa natura accipiunt. Nam omni legislatoris humana voluntate seclusa, ita ut nullus unquam homo de illis aliquid statueret, nihilominus illæ plenam suam vim ad obligandum haberent. Aliæ sunt leges humanæ, quæ à lege naturali derivantur, per modum specificationis aut determinationis: sicut species in rebus artificialibus quodammodo derivantur à genere. In qua deductione, licet sit necessitas, qua aliquam certam speciem statuat artifex in operando: quod tamen hanc aut illam statuatur, ex mera artificis pendet voluntate. Tales sunt omnes leges, quæ præmium aliquod virtuti, aut poenam vitio statuunt: quarum nullæ ex primis legis naturæ principiis necessaria consequentia deduci possunt. Nam licet necessarium sit ex lege naturæ, ut virtuti præmium, & vitio poena reddatur, non tamen ex eadem lege est necessarium, ut hoc aut illud præmium virtuti, & hæc aut illa poena vitio reddatur. Tales ergo leges, licet vere humanæ dicantur, quia ab hominum voluntate pendent, ut subditos obligare possent: non tamen est sola in illis humana voluntas, ita ut sine illa similitudine aut specificatione legis naturalis, illa sola subditis necessitatem, & obligationem imponere possent. Possunt ergo huiusmodi leges quodammodo extensa vocis significatione naturales dici, quia per illas id in specie decernitur, quod in genere absque ulla specificatione lex naturalis faciendum esse decernit. Si enim lex humana omnino à lege naturali discederet, illa iusta non esset, etsi nihil extra legem naturalem præciperet, jam non humana, sed lex naturalis diceretur. Nam Ulpianus Jurisconsultus in leg. jus civile. ff. de justis. & jure, ita ait, Jus civile est, quod neque in totum à naturali jure, vel gentium recedit, neque per omnia ei servit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficiamus. Hæc ille. In quibus verbis jus commune, ad ostendendam vocem idem significantium varietatem, posuit pro jure naturali, & merito. Quoniam (ut ex testimonio Aristotelis supra citato constat) jus naturale est idem apud omnes. Si quis igitur illam legis definitionem de omni lege intelligendam esse contenderit, tunc dicit omnem legem insitam esse in natura, quia radix prima, hoc est, lex naturæ, à qua (ut diximus) omnis lex derivatur, est insita in natura. Et hanc fuisse Ciceronis mentem illo loco, conieci potest ex alia definitione legis, quam ille tertio libro de legibus reddidit, his verbis. Lex est iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum dirigitur,

quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt, & tuentur bonos. Quam definitionem de sola lege naturæ datam esse constat, & ad hanc leges, hominum dirigendas esse dicit. Sed hæc definitio, etiam si de sola lege naturæ intelligatur, nullam bene consideranti placere undique potest. Non enim exprimit ipsius legis essentiam, sed solum indicat quemdam legis effectum, qui est distinguere iustos ab iniustis: ita ut iustus dicatur, qui legibus pareat; iniustus vero, qui contra legem præcepta operatur. His igitur Ciceronis definitionibus relictis, ad alias legis definitiones investigandas, accedamus.

Aliæ legis definitiones dantur à variis jurisconsultis in libro primo digestorum sive Pandectarum, titulo de legibus: quas omnes singulatim suo ordine examinare decrevi, & experiri, an aliquam illarum probare possim, & pro vera legis definitionem illam amplecti. Papinianus Jurisconsultus legem his verbis definit. Lex est commune præceptum virorum prudentum consultum: delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio: communis respUBLICÆ sponsio. Quam definitionem (ut inquit ego nequaquam probare possim. Quia multa illi defunt, quæ ad bonam definitionem exiguntur. Primo quidem non convenit omni legi, quod erat summe necessarium, ut bona esset legis definitio. Nam si hac voce, præceptum, utitur ille, ut significat aliquid distinctum à prohibitione, constat definitionem illam, non convenire illis legibus, quibus nihil fieri præcipitur, sed sola vitia interduntur. Si vero præcepti nomine intelligit Papinianus (ut illic Accursius annotavit) omnes legis effectus qui infra leg. legis virtus, eodem titulo explicantur, adhuc sunt alia, quæ definitionem illam vitiatam esse aperte ostendunt. Primo quidem constat, aliquas esse leges, ut puta illæ, quæ particularibus personis dantur, quas constat non esse commune præceptum, id est, (ut Accursius illic exponit & declarat) toti universitati factum. Et certe hoc argumento victus Accursius, fatetur illam non esse legis definitionem, propterea quod non omni legi convenit, sed censet appellandam esse descriptionem. Qua in re aperte hallucinatus est Accursius, putans non esse necessarium ut descriptio conveniat omnibus, quæ continentur sub definito. Definitio enim & descriptio (vel ut recentiorum dialecticorum more loquar) definitio quiddam & descriptio descriptiva non differunt per hoc, quod una convenit omnibus contentis sub definito, alia vero non omnibus, sed aliquibus. Nam utramque illarum oportet esse æqualem ei, quod definitur, aut describitur: ita ut nec excedat illud, nec excedatur ab illo. Per hoc autem solum separatur, aut altera, quod definitio explicat rei substantiam, vel quiditatem, descriptio vero sola rei accidentia manifestat. Talis est illa legis descriptio data ab Ildoro, quæ citatur à Gratiano, in cap. Erit autem lex dist. 4. Nam ea, quæ illic referuntur, fere omnia sunt legis accidentia, & ob hanc causam, verius illa dicitur legis descriptio, quam definitio. Cum igitur illa legis explicatio, quam reddit Papinianus, non convenit omni legi, convincitur inde, illam nec definitionem, nec descriptionem dicendam esse. Sed est adhuc aliud, quod multo apertius vitiat illam definitionem vel descriptionem. Nam postea additur in illa, quod sit delictorum, quæ sponte vel per ignorantiam contrahuntur coercitio. Quæ verba soli prohibitioni, & non omni, sed illi, qui poenam transgressori minatur, conveniunt. Quoniam nuda delicti prohibitio nisi adjungatur poena qua-

male cupientes deterreat, nunquam illos à perpetratione delicti coercet. Fit itaque necessario, ut his verbis in definitione aut descriptione legis ad junctis: definitio illa non possit alicui alteri præter legem, quæ poenam minatur, convenire. Et inde apertissime convincitur, illam neque esse bonam legis definitionem, neque bonam descriptionem.

Pergamus igitur ultra, & alias duas legis definitiones, quæ sub Martiani nomine in eodem Digestorum titulo collocantur, discutiamus, an forte illæ meliores sint. Martianus siquidem auctoritati Demosthenis illustrissimi oratoris, & Crysippi Stoicæ sectæ Philosophi innixus, duas reddit legis definitiones. Prima, quæ ex Demosthene in oratione prima in Aristogitonem sumpta est, sic ait. Lex est, cui omnes homines decet obedire. Quæ legis explicatio adeo in multis deficit, ut nec definitio, nec descriptio dici mereatur. In primis siquidem, illa non explicat ipsius legis substantiam, sed id solum, quod convenit illis, quibus lex datur. Nam obedire legi, illis convenit, ad quos lex data est. Deinde definitio illa non omni, sed soli legi divinæ & naturali convenit. Nam alii legibus quæ pure humane sunt, & juxta variam cunisque patriæ conditionem variantur, non omnes obedire decet. Non enim omnes easdem habent inclinationes, neque omnes ad eandem vitia sunt proni: & ideo non decet easdem leges omnibus dari. Variæ etiam sunt diversarum nationum consuetudines, varique mores: in vestimentorum materia, in ciborum delectu, in domorum & aliorum ædificiorum constructione, in domorum ornatu, in nuptiarum ritibus & ceremoniis, in accusationibus inferendis, in defensionibus accusatorum, in litibus terminandis & definiendis. De quibus omnibus, licet variaz nimiumque diversæ sint in diversis nationibus consuetudines, fieri potest, ut e jusque illarum nationum consuetudo, considerata nationis inclinatione, in multis hujusmodi rebus laudabilis sit. Et inde aperte consequitur, ut non sit decens, quamlibet illarum nationum legibus alterius obedire: præsertim quum multæ consuetudines tales sint, ut sine scandalo & quidem gravi tolli non possint, unde venit ut sint necessario servandæ. Tales igitur leges, juxta Demosthenis definitionem, non essent leges dicendæ, propterea quod illis non omnibus, ut modo diximus, obedire decet. Præterea, illa Demosthenis definitio, quam Marrianus laudat, excedit ipsam legem: quoniam alicui præter legem convenit. Nam si quis esse orbis monarcha, illi omnes obedire deceret: sicut modo summo Ecclesiæ præfidi omnes Christianos obedire decet. Ineptè tamen supremum Ecclesiæ Antistitem, aut totius orbis monarcham quis appellaret legem, nisi eo locutionis tropo, quo causam nomine effectus appellare solemus. Sicut enim Paulus (Rom. 7.) concupiscentiam carnis appellavit peccatum, non quod illa vere sit peccatum: sed quia est causa unde peccatum oritur, aut quia est peccati originalis effectus. Et sicut idem Paulus alibi dicit. (Rom. 8.) Spiritum Sanctum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, non quod ipse Spiritus Sanctus postulare aliquid, aut gemere possit, sed quia eos, quos inhabitat, postulare & gemere facit: ita etiam ipse orbis monarcha, immo & quilibet legislator possit, juxta hunc loquendi modum, dici lex: quia est legis causa & conditor ejus. Si autem hanc locutionem tropum excludamus, & sine ulla figura loqui vellemus: ipse legislator lex dici non poterit. Nam causæ æquivoce, hoc est, quæ effectus à se specie distinctos producant, non possunt eodem nomine censeri, quod censetur effectus ea-

tum. Nam ædificator domus & ipsa domus non eodem nomine specifico dicuntur. Ad eundem modum legislator non potest dici lex, sicut ea, quæ est ædificata ab illo. Si tamen juxta Demosthenis definitionem de legislatore judicandum est, etiam dicitur ille lex perinde ac illa. Rursum, etsi illa Demosthenis definitio omni & soli legi conveniret, nimia tamen illius brevitatis, juxta Aristotelis doctrinam sexto Topicorum libro cap. 1. illam vitare potest. Nam etsi oporteat definitionem esse brevem, ut excludat omnem verborum superfluitatem, non tamen adeo brevem in sententia, ut non valeat explicare substantiam aut proprietates rei, quæ per illam definitur. Oportet enim definitionem esse declarativam, & manifestativam ipsius, quæ per illam definitur, alioquin si rem nullo modo declarat, sed illam æque obscuram & ignotam relinquit, definitio illius dici non poterit. Quæ tamen nimium brevis est sententia, vix potest esse clara, ut optime quidam dixit: Dum brevis esse volo, obscurus fio. Ob hanc causam Aristoteles in 7. Metaphysicæ textu comment. 54. docet definitionem dari debere per multa nomina: quoniam alias si per unam vocem daretur, maneret (ut ille existimat) obscurum & ignotum, quod definitur. Et hæc nimia in definitionibus brevitatis, magis vitiosa est in Rethoribus quam in Philosophis aut Dialecticis. Nam etsi Rethoribus aliqui alii definitionis defectus, sint aliquando condonandi, vitium tamen brevitatis, nunquam est illis indulgendum. Nam Aristoteles in primo libro Rethoriorum, ad Theodectem, cap. 3. in fine de Rethorici definitionibus differens, hæc ait. Oportet autem definitiones has sufficientes putare, si ita se habent, ut de unoquoque neque obscura sint, neque exactæ. Hæc ille. Ex quibus convincitur, ut licet alios definitionis defectus Demostheni condonare velimus, nimia tamen brevitatis & obscuritatis vitium, illi veluti Rethorici eminentissimæ non sit dimittendum. In gratiam tamen Demosthenis ego illum tueri cupiens, illius verba aliter quam Martianus Jurisconsultus interpretanda esse censeo. Non enim credo Demosthenem illis verbis legem definire, ut Martianus de illo putavit: solum legis encomium, id est, illius laudem expressisse. Neque enim fieri necesse est, ut quoties aliquid per hoc verbum est, de alio enuntietur: statim illa oratio sit putanda illius rei definitio, etiam si multa de illo in illa oratione dicantur, quoniam multæ tales orationes ad solam illius rei, de qua fit sermo, laudem referuntur, & non ad illius definitionem. Nam hujusmodi laudibus Oratores & Rhetores sæpissime utuntur, cum aliquid persuadere conantur. Quoniam laus cunisque rei hoc habet proprium, ut audientis animum ad amorem ejusdem rei excitare valeat. De qua re non est opus, ut aliunde exemplum petamus, quod in hæc, de qua loquimur, facile præstare possumus. Cicero enim in ea oratione quam pro Aulo Cluentio habuit, volens probare indignum esse in ea civitate, quæ legibus continetur, discedi à legibus, multas præclaras legis laudes concinnat, sic inquires. Hoc enim vinculum est hujus dignitatis, quæ fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis postea est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic Civitas sine lege, suis partibus ut nervis ac sanguine & membris uti non potest. Hæc Cicero. Quæ verba nullus, nisi rudis & parum intelligens, dicit esse legis definitionem, sed solum illius encomium, quo multa legum merita explicantur. Nam dicens Cicero legem esse vinculum civitatis, aut fundamentum libertatis, aut fontem æquitatis, non definit legem,

gem, sed eam laudavit, ut vel sic iudicibus persuaderet, dignam & iustam esse leges ab omnibus servari. Idem ego puto Demostheni contigisse, cum in illa oratione prima, quae est in Aristogionem, dixit. Lex est, cui omnes homines decet obedire, & caetera, quae ibidem subnectuntur.

Alliam definitionem citat eodem loco Martianns Jurisconsultus, ex Chryssippo Stoicae sectae Philosopho, his verbis. Lex est omnium divinarum humanarumque rerum notitia. Quam definitionem Accursius sic intelligendam putat, quod in scientia juris civilis tractatur, tam de rebus divinis, quam humanis. Nam illic (ut ait) tractatur de mysterio Trinitatis, & de sacrosanctis Ecclesiis, & de Episcopis, & de Monachis, & de rebus aliis humanis. Atque ideo putat Chryssippum dixisse, legem esse omnium divinarum & humanarum rerum notitiam. Tamquam si Chryssippus, qui per multos annos Romanorum Imperium praefecit, de Codice aut libris Digestorum a Justiniano Imperatore editis, loqueretur. Nam si de illis loquebatur, vera non esset, quae ille dicit. Quoniam est in libris Juris civilis aliqua de divinis tradantur, non tamen omnia divina illic traduntur, sed paucissima. At Chryssippus dicit, legem esse non solum aliquarum, sed omnium divinarum & humanarum rerum notitiam. Deinde falsum est, illam rerum notitiam esse legem. Non enim tunc ipsa lex condita esse putatur, quando legislator agnoscit aliquid expedire reipublice, sed quando (ut supra diximus) id faciendum esse praecipit. Et inde apertissime consequitur, ut ipsa rerum notitia lex dici non possit, cum lex consistat in imperio voluntatis illius, qui imperare potest. Praesupponit tamen lex ipsarum rerum notitiam, sicut actus voluntatis, actum intellectus. Rursum, si illa legis definitio a Chryssippo data, ut Accursius censet, esset intelligenda, nulli prorsus particulari legi, sed omnibus legum voluminibus simul junctis, conveniret. Nulla siquidem est particularis aliqua lex, quae in se contineat omnium divinarum humanarumque rerum notitiam, sed unaquaeque illarum, aut de divinis, aut de humanis tantum rebus disponit: & ita oporteret illum fateri, ut (juxta definitionem legis a Chryssippo datam) nullum particulare cujuscumque Imperatoris decretum sit lex dicendum. Quapropter, ego illa Chryssippi verba longe aliter quam Accursius puto esse intelligenda. Ego enim censo, (& credo me in hac parte non falli) per illa verba non dari legis definitionem, sed exprimi id, quod est necessarium in legislatore, ut justam legem condere possit. Oportet enim, ut omnes leges divinas optime intelligat, ne legem condens, aliquid statuatur, quod alicui legi divinae aliqua ex parte repugnet. Nam si aliquid contra legem divinam lex humana praeciperet, aut prohiberet, lex illa nullius esse roboris, nec homines ad illius observationem essent afflicti. Quia (ut beatus Petrus dixit *Act. 1.*) *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Oportet etiam, ut omnium legum humanarum, quae vim & robur retinent, habeat notitiam, ne leges sibiipsis adversentur, & contra seipsas pugnent. Oportet denique, ut res omnes humanas, de quibus aliquid statuere debet, optime intelligat, ne aliquid praecipiat, quod sit homini impossibile, aut illi nimis difficile, aut moribus patriae minime conveniens. Quam igitur Chryssippus ait, legem esse omnium divinarum humanarumque rerum notitiam, ego illa verba non per identitatem, sed per causalitatem intelligenda esse puto, ita ut illorum verborum talis sit sensus: Lex

oritur, five procedit ex notitia omnium divinarum humanarumque rerum, quae scilicet sunt homini necessariae. Caetera autem, quae in verbis Chryssippi adduntur, varios legis effectus explicat, ut puta quod praestat bonis & malis, quod sit Princeps & Dux, quod sit regula iustorum & iniustorum. Omnium ergo illorum verborum Chryssippi prima pars causam legis potissimam, quocumque nomine illa censetur, explicat: quae est perfecta rerum notitia, sine qua nulla lex iusta statui potest, reliquae vero omnes partes solos legis effectus exprimunt. Nam quod rerum divinarum notitia sit legislatori summe necessaria, ut justam legem condere possit, vel ex hoc aperte convincitur, quod aliquae sunt leges injustae & pessimae, a Romanis Imperatoribus editae, ob solam ignorantiam legis divinae, quam si bene (ut oportebat) intellexissent, numquam tales leges condidissent. Omitto eas leges, quas Imperatores idololatriae, & Deum verum prorsus ignorantes, condiderunt. De illis, quae a Christiano & vere Catholico Imperatore conditae sunt, unam & alteram in testimonium proferam, ut ex illis verum esse quod dicimus, apertissime constare possit. Imperator Justinianus, quem omnes Catholicum fuisse referunt, in Autent. de nuptiis, §. distrahuntur, coll. 4. statuit matrimonia per copulam carnalem consummata, posse dissolvi ad alterius partis arbitrium, per ingressum Religionis. Haec autem lex, quam iniqua sit, aperte docet B. Gregorius in quadam epistola ad Theoristam Patriam, cujus verba citantur a Gratiano in cap. Sunt qui, 27. q. 2. & idem docet Alexander tertius in cap. ex publico extra, de conversione conjugatorum. Idem Justinianus Imperator in autent. ut sponsalitia largitas, §. rursus, coll. 9. statuit male fidei possessorem contra verum alicujus rei dominum, praescribere posse, post spatium decem annorum inter praesentes, & viginti inter absentes, si dominus rei, sciens rem sibi competere, noluerit rei possessorem infra illud tempus contestari. Hanc tamen legem, quia injusta erat, & legi divinae contraria, jus canonicum saepe irritum fecit, ut patet in cap. Vigilanti, & in cap. Quoniam, extra de praescriptione. & in regula Possessor. de regulis juris in 6. Si Justinianus Imperator, aut quos ille ad haec leges condendas consuluit, perfectam habuissent legis divinae notitiam, numquam ille tales leges statuisset, quae aperte sunt legi divinae repugnantes. Et hinc nostrae sententiae favet glossa in cap. Lege Imperatorum, dist. 10. quaerens quomodo Justinianus Imperator, qui vere Catholicus fuit, talem legem de dissolutione matrimonii, causa Religionis, fuit ausus condere, cum tam aperte repugnet legi divinae; respondet illum per ignorantiam legis divinae talem legem statuisse. Ob hanc igitur causam recte Chryssippus dixit, legem esse divinarum humanarumque rerum scientiam: quia illarum omnium rerum notitiam habere, & illas omnes respicere oportet, qui justam legem condere debet, prout ipsa Sapientia, teste Salomone, clamat, dicens (*Prov. 8.*) *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.*

CAPUT III.

Quid sit poena, & quid sit etiam Lex poenalis.

UT omnia, quae ad legis poenalis perfectam definitionem habendam a principio diximus esse necessaria, compleamus: superest declarandum quid sit poena, & inde aperte constare poterit, quid sit lex poenalis. Poena est passio inferens nocementum illam sustinenti, aut saltem

apta ad inferendum, nisi aliunde impediatur inflicta, aut contracta propter proprium peccatum praeteritum. Dixi poenam esse passionem & non actionem: quia licet multi in actionibus aut operationibus vires poenam sentiant, ut puta scribendo, aut pingendo, aut terram fodiendo, aut ligna scindendo, aut aliud quodvis simile faciendo: non tamen ea ratione, qua agunt, poenam sentiunt, sed quae patiuntur. Omne enim agens (ut Aristoteles ait) in agendo reparitur. Ex hac re passio, quam sustinet agens ab illo in quod agit, evenit, ut ex longa & continua actione vires illi decrefiant, ac paulatim minuantur. Sustinet igitur homo poenam in multis suis actionibus, non quia agit, sed quia in operatione sua lassatur & fatigatur. Calamus enim & pennisculus, & quodvis aliud parvum instrumentum aliquantulum resistit manus motoris: & ex hac qualitate parva resistentia oritur, ut manus tandem lassetur in continuo & longo motu talis instrumenti, & sic poenam sentiat in motu. Et si nihil aliud quam seipsam moveret manus, nihilominus fatigaretur in motu, tum propter gravitatem manus resistentem potentiae motivae: tum etiam quia ex longo motu spiritus animales minuuntur, quibus diminutis, necesse est motoris vires debiliores effici, & sic tandem lassari, & poenam sentire. Cum igitur homo aliquid agens, non ob eam rationem poenam sentiat, quia agit, sed quia agendo reparitur: merito diximus poenam esse passionem. Aliquando autem actio, aut ipsum agens dici solet poena, ut puta quum dicimus ignem inferni, aut vermes, aut foetorem esse poenam damnatorum. Hoc tamen ea loquutionis figura dicimus, qua causam pro effectu nominare solemus, hoc est per Synecdochen. Haec enim omnia, quae nunc proxime recensimus, poenae dicuntur: non quia sint, sed quia poenas causant in ipsis damnatis. De hoc tamen admonere decrevi lectorem, ut non putet poenam semper esse passionem, prout de passione tractant Physici aut Logici. Hi enim illam solum dicunt passionem, quae opposita actioni, & illam respicit tanquam suum correlativum: prout est calefieri, aut calere, cujus oppositum correlativum est calefacere, & frigidescere, cujus oppositum est frigidescere, & multa alia similia. Est adhuc aliud passionis genus iuxta Grammaticorum regulam, qui passionem dicunt poenam, quod verbo passivo nominatur. Et juxta hoc passionis genus, dicimus videri, & audiri, & tangi, esse passiones: quamvis nec res visa, nec audita, nec tacta, aliquid recipiat a vidente, aut audiente, aut tangente. Juxta hunc etiam modum dicimus, rerum privationes esse quasdam passiones, quamvis talis privatio per nullam actionem sit inducta, immo potius per defectum actionis. Nam aliquem privari re aliqua, ut puta divitiis, sanitate, parentibus, filiis, honore, dignitate, officio, beneficio, passivo verbo designatur. Cum ergo dicimus, poenam esse passionem (ut optime beatus Thomas docet) non est sumendum passionis nomen, prout soli Physici aut Logici illo utuntur, sed etiam juxta Grammaticorum consuetudinem. Quoniam (ut ex sequentibus clare patebit) sola rei alicujus privatio, absque aliqua actione esse potest poena. De qua re (ut alia multa exempla omittam) perpetua beatitudinis privatio, quae maxima est damnatorum poena, apertissimum reddit testimonium. Haec enim poena nihil reale est in ipso damnato, neque aliquam actionem divinam, sed per solam carentiam voluntatis divinae potest inferri: quia, Deo non volente reddere damnato beatitudinem, necesse est illum perpetuo beatitudine carere. Illam ergo perpetuam beatitudinis privationem, sicut dicimus esse poenam, ita etiam dicimus esse passio-

nem, quia verbo passivo expressam. Nam qui illam sustinet, privatus esse dicitur beatitudine quam vehementer desiderat. Et idem dicendum est de multa pecuniarum, de infamia, de privatione officii, aut beneficii: quia haec omnes, sicut poenae merito dicuntur, ita etiam passiones dicenda sunt, prout nunc de passionibus loquimur. Additum est deinde in definitione poenae, quod inferat nocementum illam sustinenti, aut saltem sit ex se apta ad inferendum. Non enim omnes passiones (etiam si Physicorum aut Dialecticorum more eas appellemus) nocent illas toleranti, neque etiam omnes ex se aptae sunt ad nocendum: sed multae ex illis potius profant sustinenti, & delectationem quamdam atque voluptatem inferunt illi. Variant siquidem passiones per concordiam, aut discordiam agentis cum patiente. Nam si agens convenit patienti, causat conjunctionem aut actione sua delectationem in illo, ut si cibis dulcis & suavis contingat linguam, aut aliquid leve & blandum attingat carnem. Hinc Avicenna 8. Metaphysic. cap. ult. dicit, delectationem esse conjunctionem convenientis cum convenienti. Quae definitio (ut Dialecticorum more loquar) causalis est, & non identica. Non enim explicat quid sit delectatio, sed unde causetur. Nam causatur illa ex conjunctione duorum inter se convenientium. Si agens non convenit patienti, tunc non solum non proderit illi, sed potius nocet: nec delectationem conferet, sed dolorem & afflictionem, veluti si ferrum aut lapis contingat pupillam oculi: aut si tribuli, aut urticae tangant reliquas corporis partes nudas. Tales enim passiones, quae ab hujusmodi agentibus causantur, poenae dicenda sunt, quia nocent patienti. Nocementum autem, quod ab hujusmodi passionibus provenire potest, duplex esse contingit, sicut duplex etiam esse potest commodum, quod per tale nocementum tollitur. Nocere siquidem, privationem activam dicit, potius quam positionem. Nocere itaque est, aliquo commodo privare: & nocere dici vere non potest, qui nullum commodum tollit. Quod ergo majus est commodum, quod ab aliquo tollitur, eo majus est nocementum quod illi inferitur, & per consequens, major est poena, quam ille sustinet. Commodum autem duplex esse potest: alterum quod est in persona illa illi cui inferitur, & non extra illam, ut sunt bona spiritalia, videlicet scientia, rerum praeteritarum memoria, gratia divina, & virtutes omnes morales. Bona etiam, quae corpori sunt instita, ut est vita, salus, bona complexio, membrorum integritas, corporis agilitas, robor, quies, somnus, & reliqua his similia, sunt commoda personae inhaerentia. Nocementum, per quod homo aliquo istorum commodorum privaretur, diceretur nocementum personae: quia per illud privatur homo iis rebus, quae sunt sibi conjunctae. Alterum est commodum extrinsecum, & est omnis res, quae extra ipsum hominem existens, illum quodammodo juvare potest, & aliquam illi conferre utilitatem. Talia sunt divitiae corporales, honores, dignitates, officia, beneficia, parentes, uxores, filii, consanguinei, affines, amici, & si quae sunt his alia similia. Nam quodlibet horum potest homini (ut constat) aliquo modo proficere. Quidquid igitur hominem aliquo istorum, five in toto, five in parte privaret, illi nocere diceretur, & poenam inferre. Illa igitur passio, quae altero istorum modorum nocerit illam sustinenti, videlicet in persona propria, aut in rebus externis illam concernentibus, poena dicitur illi cui nocet. Ex his omnibus sequitur, aliquid esse poenam, adhibitum uni, quod non est poena alteri: quia quod uni nocet altero istorum modorum, alteri eodem modo non nocet. Et

primo quidem de nocimento personae, praesertim de illo, quod corpori inferitur, facile constare poterit, si advertamus aliquid esse in vaide conveniens, quod alteri minime convenit, propter diversam huius & illius complexionem, aut variam corporis dispositionem. Nam calida nocent colericis, quae tamen valde conferunt flegmaticis: frigida & contrario, & nimium humida nocent flegmaticis, & saepe profunt colericis. Sanus corpore & esturiens, comedendo cibum bonum naturam suam, delectatur: aeger tamen corpore, & fastidians eundem, si illum comederit, poenam sentiet. Potest etiam talis varietas provenire ex vario habitu, & ex diversa utriusque consuetudine, quia videlicet circa contraria sunt assueti. Nam assuetus ad jejunandum, nullam sentit poenam jejunans: assuetus vigiliis, & orationi saepe ex ipsa vigilia & oratione delectationem capit, tantum abest, ut poenam sentiat. Non tamen ob hoc, aut jejunium, aut vigilia, aut oratio, desinet dici opus poenale. Quia licet huiusmodi rebus assueti, ex illis non fatigantur, neque alio quovis modo ab illis laedantur, hoc non provenit ex natura illarum rerum, quia videlicet illae non sunt ex sua natura potentes inferre laborem, aut aliquid aliud nocimentum; sed est ex consuetudine illorum, qui talibus rebus sunt assueti. Consuetudo enim saepe mutat res in alteram naturam. Constat autem, quod jejunium jejunanti, & vigilia vigilanti, & oratio oranti, apta sunt ex suis naturis praebere aliquam offensionem, aut aliquid corporis nocimentum: & inde sequitur, ut quodlibet eorum sit poenae dicendum absolute. Nam cum rerum essentias explicamus, & cum proprias illarum definitiones reddimus, non consideramus ea, quae extra res illas sunt, & quae sunt illis adventitia, sed quae sunt illis intrinseca: nec consideramus quid circa unum, aut alterum efficere valeant, sed quid ex suis naturis praestare conentur. Ad istum modum etiam ceasit doctor subtilis Scotus, intelligendum esse nomen difficultatis, quae poni solet tamquam commune omnium virtutum obiectum, cum dicitur virtutem esse circa difficile. Ut enim opus aliquod dici mereatur opus virtutis, non est necessarium, ut huic aut illi operanti sit difficile. Quia licet ipse operans nullam praesens, quum illud agit, sentiat difficultatem; satis tamen est, quod opus ipsum ex sua natura habeat aliquam difficultatem. Licet enim assueti jejunium non sit difficile jejunare, ipsum tamen jejunium ex sua natura aliquam habeat difficultatem. Inter alias habitus proprietates, haec est una, quod praebet operanti facilitatem, & delectationem: nec tamen per hoc impedire valet, quae opus ipsum, ex habitu & consuetudine factum, dici valeat difficile aut poenale absolute. Sunt adhuc aliae duae causae, videlicet amor, & odium, aut contemptus, quae impedire valent, ut res quae ex natura sua affligere aut laedere possunt, non affligant, neque laedant. Nam amor illius, propter quem tristabilia tolerantur, facit illa suavia & facilia. Amant siquidem nihil est difficile. Et de suavitatem testatur Job, qui cap. 6. ait: *Anima esuriens etiam amara dulcia esse videtur.* Similiter qui aliquid praesens contemnit, ex illius amissione nequaquam affligitur, nec ullam poenam sentit. Quocumque igitur modo, sive hoc aut illo impediatur res, quae ex sua natura erat apta offendere aut nocere, ne offendant aut noceat; res tamen illa semper dicitur poenalis, & illius passio dicitur poena: Quia (ut diximus) non est considerandum, quid circa unum aut alterum res efficiat, sed quid ex se, si non impediretur, praestare valeret. Quo fit, ut res quae ex se non est apta offendere aut nocere, si aliquem forte offendant aut alicui

noceat, non sit absolute dicenda poena: dicitur tamen poena cum restrictione, videlicet poena huic aut illi. Talis est cibus suavis & sanus, qui aegrum fastidientem offendit: quia hic licet possit dici poenalis illi aegro, non tamen est dignus, ut absolute dicatur poenalis, aut illius manducatio dicitur poena. Duobus itaque modis aliquid potest dici poena, & opus aliquod dici poenale: videlicet absolute, & cum restrictione, hoc est, aut quia res ipsa ex sua natura apta est ad offendendum & nocendum; aut quia, licet illa ex se non possit, is tamen, qui illum sustinet propter suam proprietatem, ab illa offenditur & laeditur: Et propter hanc causam, in definitione poenae utrumque istorum modorum posui sub distinctione, dicens poenam esse passivam, quae noceat sustinenti illam, aut saltem ex sua natura sit apta nocere. Et inde sequitur, ut quocumque istorum modorum res sit poenalis, possit iuste in sacramentali poenitentia dari pro satisfactione peccatorum, & a Iudice dari in punitionem delicti. Nam quamvis aliquis ex nimia consuetudine jejunandi nullam praesens fatigationem patiatur ex jejunio; potest tamen sacerdos ille jejunium in sacramentali poenitentia injungere pro satisfactione suorum delictorum: etsi poenitens ille post talem impositionem jejunet, satisfaciet per illud, juxta illius valorem, Deo pro suis peccatis. Jejunium siquidem ex sua natura res est laboriosa & poenalis, per quam peccatores pro suis delictis Deo satisfacere solent. Non est autem rationi consentaneum, ut diuturno & longo jejunio afficiatur, privetur hac indulgentia, ut videlicet deinceps jejunans, jam non possit pro suis peccatis Deo satisfacere, quia jam nullum jejunando sentit laborem. Idem etiam dicendum censo in poenis, quae a jure, aut a Iudice pro diversis criminibus infliguntur. Si quis enim crimen aliquod, cui a jure est aliqua certa poena decreta, commiserit, quamvis ille criminis patratore nullam ex tolerantia illius poenae sentiat afflictionem, non propter hoc esset alia infligenda poena, nisi illa quae esset a jure infligenda. Si etiam nulla esset a jure tali crimine poena assignata, sed ex arbitrio Iudicis praederet poena, qua tale crimen deberet puniri, posset Iudex quocumque re quae ex natura esset offensiva & nociva, delinquentem iuste punire, quamvis ille nullam praesens afflictionem ex illa sentiret. Et hoc idem dicendum puto de re illa, quae ex natura sua non est offensiva aut nociva, sed propter propriam alicujus corporis dispositionem, aut propter propriam alicujus animi ingenium, nocet alicui particulari, quae alteri non esset apta nocere. Nam huiusmodi res possit iuste in poenitentia sacramentali pro peccatorum satisfactione infligi illi, qui ab ea offenditur, & per illam affligitur. Si quis ob aliquam quamlibet causam cibum alloqui sanum, & naturam suam fastidiret, & vehementer horreret, non dubito, quin possit huic tali sacerdos in sacramentali poenitentia iuste praecipere, ut talem cibum comederet pro suorum satisfactione peccatorum. Et ipsemet poenitens absque illo sacerdotis praeecepto possit talem cibum sanum & suavem, quae acriter abominatur, velle comedere, ut per illum laborem, quem comedendo sustinet, Deo pro suis peccatis satisfaciatur. Ultimo additum est, in definitione poenae per me superius data, quod sit contracta vel infligita propter peccatum praeteritum. In quibus verbis multa sunt, quae admonitione indigent. Primo quidem admonere oportet duplicem esse poenam: alteram contractam, & alteram infligitam. Poena contracta est illa, quae sine nova aliqua alterius actione, statim oritur ex peccato, prout est fomes concupiscentiae, & privatio gratiae, remorsus conscientiae.

Et

Et talem esse merito dicendam poenam, docet B. Bonaventura in primo Sententiarum distinct. 40. art. 3. q. 1. quo loco ipse hanc poenam appellat poenam contractam. Sanctus autem Thomas in 2. sentent. distinct. 27. q. 1. quamvis dicat, remorsum conscientiae esse merito dicendum poenam, non tamen illam appellat poenam contractam, sed poenam concomitantem, propterea quod semper concomitatur ipsam culpam, prout Augustinus lib. 1. confessio-num testatur, inquit: Jussisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sit sibi poena. Poena infligita est, quae non semper oritur necessario ex peccato, neque illud concomitatur, sed postea infligitur, aut a Deo, aut ab homine Iudice. Illa vero, quam homo sibi ipsi ex arbitrio suo infligit, etiam si illam pro peccatis suis sumat, non est proprie dicenda poena. Quia (ut S. Thomas ait) de ratione poenae est, quod sit contraria voluntati. Deinde advertendum est, quod non omnis passio quamlibet offensiva, sive concomitans, sive infligita, est dicenda poena, nisi illa habeat aliquem ordinem ad peccatum, ut puta quod per illam quodammodo puniatur peccatum. Ideo Joannes Gerson, lectio prima de vita spirituali animae, dicit poenam & culpam dici correlative, & idem dicit de punitione & culpa. Propter quod afflictiones, quas iusti in hac vita saepe sine culpa praecedente tolerant, non esse dicendas poenas, docet Augustinus libro quarto de Civitate Dei, cap. 3. sic inquit: „ Nam iustis quidquid malorum ab „ iniquis dominis irrogatur, non est poena criminis, sed „ virtutis examen.“ Haec ille. Poena enim proprie convenit ordinare culpam, ut videlicet corrigat ordinem, quem perverterat culpa. Nam omne peccatum est actus inordinatus, & omnis peccans contra aliquem ordinem agit, & ideo oportet, ut ad eundem ordinem per poenam redigatur, quem peccando deseruerat. Et hinc est, quod a tribus (ut beatus Thomas ait) homo iuste puniri potest, quia a triplici subjectione peccans recessit. Subditur quidem homini ordinis propriae rationis, deinde subditur ordini exterioris hominis gubernantis, vel spiritualiter, vel corporaliter, politice, vel oeconomico: ultimo subditur ordini divinae & supremae gubernationis. Contingit autem, ut peccans hos tres ordines pervertat, agens contra rationem naturalem, & contra legem humanam, & contra legem divinam. Oportet igitur, ut qui talis est, triplicem poenam suscipiat, per quam ad ordinem, quem perverterat, redigatur. Punitur quidem homo a seipso per remorsum conscientiae, deinde ab homine per varia nocimenta, & postremo a Deo. Et sic poenae rediguntur in ordinem, quia illi, a quo poenam patitur, vel invitatus subditur, cui subijci noluit peccando. Ex istis sequitur aliqua esse, quae est vulgariter est. Sed licet aliae irregularitates, quae ob culpas aliquas praecedentes infliguntur, poenae merito dici possint; haec tamen, quas nunc proxime expressimus, juxta legitimam vocis significationem poenae dicenda non sunt, quia propter nullam praecedentem culpam sustinentur. Alioquin etiam oportet dicere, poenam esse omnem inhabilitatem aut indignitatem ad officium aliquod suscipiendum

& administrandum. Et ita diceremus, poenam esse privationem, litterarum ignorantiam, caecitatem, digitorum privationem, quoniam per haec omnia quis efficitur indignus sacerdotio, & inhabilis ad multa alia ministeria exercenda. Licet enim haec omnia poenae dicantur, quia nocent eis, qui illa patiuntur, non sunt tamen poenae dicendae, ut nunc loquimur de poena, quia non sunt propter culpam infligtae: quod tamen juxta doctrinam beati Thomae, & beati Bonaventurae est summe necessarium, ut poenae merito dici possint. Hoc enim aperte docet Augustinus libro primo Retractionum, capitulo nono, sic inquit: Omnis poena, si iusta est, peccati poena est, & supplicium nominatur. Haec ille. Ex his sequitur aperte, aliquid esse poenam dicendum ad unam personam relatum: quod si ad personam, cui etiam nocet, referatur, non erit poena dicendum. Nam interdictum, per quod personae laicae ab Ecclesia excluduntur, ne interfiant celebrationi Missarum, aut aliis divinis officiis, si ad personam illam referas, propter cuius culpam locus est interdictus, poena dicitur, & erit. Si vero illud referas ad reliquas personas, quae nullam praesens causam interdicti dederunt, afflictio forte dicitur, aut alio quovis nomine censetur: poena tamen vere dici non poterit, prout nunc loquimur de poena, quae videlicet habet ordinem & respectum ad culpam. Idem praesens dicendum est de poenis, quas filii Catholicis propter haerese[m] patris iura decernunt, quae si ad patris crimen referantur, merito poenae dicuntur: si vero ad ipsos filios comparentur, poenae minime dici merentur. Sed de hac re oportet adhuc admonere lectorem, ut non putet satis esse, ut poena merito dicatur, quod sit infligita propter peccatum, sed opus est ut peccatum illud sit proprium, & sit iam praeteritum. Non est enim iustum, ut quis pro peccato alterius puniatur. Nam est Deus aliquando visitet (ut ipsemet ait *Exod. 10.*) iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, ipsa tamen visitatio aut afflictio, quam filii impendunt, respectu filiorum non est poena neque poenitio dicenda: quia non pro illorum proprio peccato est illis infligita, sed in illis huiusmodi afflictio est veluti quaedam animae medicina, quoniam prodest illis ad bonum animae spirituale, si illam patienter tolerant. Respectu autem patrum poena & poenitio censetur, quia pro illorum peccatis filii torquentur, & ita patres per filiorum supplicia puniuntur. De qua re nolo quidquam nunc disserere, quia satis me dixisse memini in illo opere, quod de iusta haereticorum punitione scripsi, libro secundo, capite decimo. Est tamen hic advertendum, quod afflictio aliqua poenalis potest bifariam considerari, aut ratione satisfactionis, aut in vera ratione poenae. Poena, si ea sola ratione consideretur, quae est satisfactoria, non obstat, quin unus innocens possit illam pro alio peccatore sustinere, prout Christus redemptor noster fecit, qui (ut beatus Petrus ait 1. 2.) peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius, & tamen peccata omnium nostrorum protulit in corpore suo super lignum. Nam in rebus forensibus videmus saepe aliquem transferre in se debitum alterius, & se obligari ad solvendum debitum quod alter contraxerat. Simile quid fecit Christus, quum passionem crucis tolerans, pro nobis omnibus Deo satisfacere voluit. Juxta quod ipse per Regium Prophetam (*Psal. 68.*) ait: *Quae non rapui, tunc exsoltebam.* Si vero poena consideretur in sola ratione poenae, hoc est, in quantum est vindicta & poenitio, numquam infligitur nisi propter culpam propriam, sive actuale[m], sive originale[m]. Nam propter peccatum cuiusque proprium

oq.